IN CLEMENTEM 8. PONT. OPT. MAX. ORATIO ET CARMEN ROBERTI TITII BURGENSIS AD...

Roberto Titi

IN CLEMENTEM VIII. PONT. OPT. MAX.

ORATIO ET CARMEN

ROBERTI TITII BVRGENSIS.

AD

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.

PETRVM ALDOBRANDINVM

CARDIN. AMPLISS.

Ferrariæ Legatum,&c.






BONONIAE,


Apud Hæredes Ioannis Rossij. MDXCVIII.

Superiorum permissu.



PETRO ALDOBRANDINO CARDIN. AMPLISSIMO.





ILLICVS *vt domino fœcundi munus agelli*
Desert, puniceis plena canistra rosis;
Et quibus arentes æstus, ac frigora brumæ
Defendit manibus poma nouella suis:
Sic ego florentis cultor nunc sedulus horti
Has violas, atq; hæc pauca volema fero.
O Tibi, Flos Iuuenum, modò non videatur inane
Hoc studium, quo Te nunc ego ritè colo.
Forsan & ingentes olim Tibi frugis aceruos
Ipse metam, & larga grandia farra manu.

ROB. TIT.



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. PETRO ALDOBRANDINO CARDIN. AMPLISSIMO.





N communi omnium lætitia, qua Vrbs hæc plurimùm, aut potius vltrà modum exultat ob prosperum in eam aduentũ Patrui Tui Viri semper quidem certè præstantissimi, nunc verò Pontificis Opt. ac Max. haudquaquã me continere potui (Cardinalis Ampliß.) quin & ipse quoq; aliquod gestientis animi indicium, quacunq; tandem ratione possem, præberem: ac, quoniam politiores literas in hoc celeberrimo Gymnasio docendi partes sustineo, minimè alienum esse à meo munere existimaui, si quippiã in eo ipso genere, quo Tibi voluntatem meam vtcunq; patefacerem, elaborarem: ac præterea summis votis semper equidem expetiui, aliquam mihi occasionem dari Te adeundi, & studiũ

meum, quo Te incredibili prosequor, declarandi: iamdiu enim prudentiæ, pietatis, iustitiæ, integritatis, continentiæ, liberalitatis Tuæ fama longè, lateq; peruagata est, vt omnes, quicunq; virtutis amore capiuntur, & liberales disciplinas colunt, Te certatim ament, ac venerentur, & in Tuam se gratiam insinuandi cupiditate maximè flagrēt. Quoniam verò in eo dignitatis gradu constitutus es, qui parum omninò distat à summo: ipse contrà mediocris me fortunæ hominem esse agnoscebam; iccircò, nisi aliquam nactus essem percommodam occasionem, Tibi obstrepere non audebam, quæ sese tandem in hac publica omnium ordinum lætitia mihi obtulisse visa est: Igitur paucula hæc in eo genere literarum, quod, etsi vniuersè mihi cum multis commune est, nescio tamen quo pacto, magis adhuc particulatim ad me hoc quidem tēpore pertinere videtur, inter multas, variasq; meas occupationes, nec non in summis tēporis angustijs, ac difficultatibus propè subitò quodā quasi æstro percitus exaraui, non qualia quidem voluissem, verùm talia, vt inde facile Tibi sit acerrimi iudicij viro coniectare, me ardentißimo desiderio correptum esse ea literarum monumentis consignandi, quæ Patruus Tuus verè ille quidem Maximus, & Sanctißimus Te vel auctore, vel impulsore, vel certè administro præclarè gesserit, quæ prorsus innumerabilia sunt, & immortalitate dignissima: nisi si penitus indignus videbor, qui tantā rem aggrediar, præsertim cùm plures in cōtubernio Tuo viros eruditißimos habeas, qui onus hoc multò sanè cōmodius, ac magis

gis

gis ex dignitate, quàm de me fortasse Tibi liceat polliceri, perferre queant: sed hoc Tu diligentius expendes: mihi certè nunquam voluntas, ac studium deerit Tibi semper gratificandi, & quacunq; tandem ratione id consequi potero, sedulò, ac fideliter inseruiendi: Interim tamen Tuæ, Patruiq; laudes his meis scriptionibus vtcunque adumbratæ potius, quàm suis coloribus expressæ ad te proficiscuntur tanquam testes mei erga vtrunque vestrûm cultus, & obseruantiæ. Spero autem fore, vt, quæ Tua est humanitas, quam à cunctis exquisitißimis laudibus efferri audio, in hoc paruo munere meam voluntatem potius, quàm conatus exitum inspicias. Equidem omnibus ego lætitijs incedam, prorsusq; mihi beatus esse videbor, si ad gratiam Tuam aliqua ex parte promerendam hic quasi quidam internuncius viam mihi, & aditum patefecerit, ad quam Iacobi Mazzonij, viri illius quidem omni literarum genere perfecti, ac perpoliti, memoria verò tanta, quantam in alio numquam fuisse legimus, ac propterea Tibi, dum vixit, longè charißimi, & mihi ob nonnullã, quam is de meis literulis conceperat opinionẽ, amicißimi, opera vti decreueram: neq; verò dubitabã fore, quin saltem tanti viri commendatio Tuæ beneuolentiæ particulam mihi aliquam conciliaret: nunc totum Tuæ humanitati acceptum referre debebo, si, vt spero, & opto, me in gratiam receperis, inque eorum numerum collocaueris, qui Te & plurimùm admirantur, & Tuas virtutes maximas, & innumerabiles mirificè, vt par est, suspiciunt, ac prædicant;

nam

nam μνημόσυνον hoc, quod nunc Tibi offero, non vtiq; tanti esse scio, vt per se quicquam mereatur, & ego hoc sanè tempore omni prorsus fautore careo, qui me apud Te in gratiam ponat; Igitur Tuæ partes erunt, hoc est eius, cuius humanitas ab omnibus dilaudatur, hanc meæ erga Te voluntatis, ac desiderij testificationem grato animo suscipere, mihiq; aliquantum beneuolētiæ Tuæ liberaliter impertiri. Vale. Bononiæ. CIƆ IƆXCVIII.

Amplit. Tuæ

Deditiss. & obsequentiss.

Robertus Titius.

A D

AD SANCTISSIMVM D. N. DOMINVM CLEMENTEM VIII. PONT. OPT. MAX.

ORATIO.



PTATISSIMVS hic Tuus aduentus (Beatissime Pater) vniuersum Bononiensem populũ incredibiliter quidẽ exhilarauit, eaq; voluptate penitus perfudit, qua maior nec dici, nec sanè excogitari potest: ac verò parietes ipsi, & hoc solum, quod Sanctitatis Tuæ iucundissimo aspectu mirificè recreatur, si vocem emittere possent, huius ingentis lætitiæ signum non leue, ita me Deus amet, præberent: domus etiam, templa, mœnia, cuncta deniq; publica, priuataq; ædificia propè conuulsa sedibus suis Sanctitati Tuæ certatim obuiã processissent, Eamq; cupidissimè excepissent: Sed certè nil planè dubito, quin saltem in oculis, vultu, ipsis deniq; totius corporis motibus ciuium Bononiensium incomparabilis huius lætitiæ indicia sanè quàm luculenta perspexe-

ſpexeris, vt iccircò maximã in ſpem veniam fore, vt à Te facilè mihi ignoſcatur, ſi munus, quod partes, quas hîc ſuſtineo, neſcio quo pacto mihi prorſus imponere videbãtur, paucis omninò verbis abſoluero, neq;.n.(vt arbitror) valdè opus eſt prolixiorẽ orationem pertexere ad oſtendendum Sanctitati Tuæ ingens, & incredibile gaudium, quod vniuerſi ordines ex Tuo in hanc Vrbem acceſſu perceperunt: & alioquin grauiſsimæ tanti Tui muneris curæ lõgiorem ſermonem non admittunt; atq; ego quidem rei mole obrutus multò libentius alios dicentes audirẽ, quàm ipſe quicquam coràm eius Principis, qui præpotentis Dei vicem in terris obtinet, maieſtate eloquerer: etenim ad eas difficultates, quæ cuiq; pudenti viro, ac de ſua exiſtimatione ſollicito non ſanè mediocres obijcere ſe ſe conſueuerunt in omni ſermone publicè coràm præſtantibus viris habendo, plures, atq; eæ quidem maximi momenti nunc accedunt, quas quomodo ſuperare queam, non ſanè video: Itaq; ſi quid ego vnquã per inuitus faciendũ ſuſcepi, aut aliqua in re animũ deſpondi, propterea quod impoſito mihi oneri nequaquã me parem eſſe intelligerẽ, hoc quidem tempore maximis in anguſtijs me verſari ſentio: Sed fuit mihi prouinciæ, quę hoc à me propemodũ neceſſariò exigere videbatur, ſatisfaciendum, atq; illi ſtudio, quo erga quamlibet inſignem virtutem mea ſponte feror, magis autem

parti-

particulatim adhuc erga Sanctitatem Vestram affectus sum, aliquo pacto inseruiendũ: spero autem multò sanè facilius veniam me apud Eam, cæterosq; Præstantissimos Proceres, qui nunc hîc adsunt, reperturum, si quicquam in dicendo peccauero, quàm si rustica quadam animi peruicacia hoc munus omninò detrectassem. Præterea nil prorsus dubito, quin me de Christi Vicario verissima prædicantem Christi aura prosequatur, & dirigat: cuius ope, & auxilio non modò vastum CLEMENTIS OCTAVI laudum oceanũ tutò ingredi mihi licebit, verùm etiam recto, & nunquam aberranti cursu in portum non exigua cum animi voluptate peruenire concedetur. Antea quidem multa de Tua (Beatissime Pater) integritate, innocentia, religione, prudentia, iustitia, moderatione animi, temperantia, mansuetudine, clementia, liberalitate, cæterisq; virtutibus, quibus prę cunctis maximè enites, commemorari audiebamus, deq; ipsis nil prorsus dubitabamus: at nunc eadem omnia coràm quasi oculis intuemur, longèq; maiora esse prædicatione ipsa manifestò cognoscimus: &, quemadmodũ summa illa beatitas, quæ probos omnes post hoc æuum manet, magis omninò animos nostros oblectabit, cùm ab his carnis nexibus exoluti in cœlum euolauerimus, tametsi eius fiduciam hîc in terris certissimam habeamus, & mente non dubiè conceperimus; ita, nescio quo pacto,

magis omninò afficimur aſpectu Sãctitatis Veſtræ, cui bona illa omnia, quæ modò innui, cumulatiſſimè inſunt, quàm ſi eadem narrando explicari, quod hactenus factum eſt, audierimus; neq; enim huiuſmodi ea ſunt, vt vereri oporteat, ne præſentia, quod in cunctis alijs rebus accidere propemodũ conſueuit, minuantur: hoc ſcilicet proprium eſt veræ, ſolidæq; virtutis, in quam Tu ſemper à teneris (quod aiunt) vnguiculis incubuiſti, exemplo Parentis, ac Thomæ fratris, quorum probitas, atq; alterius quidem in Iuriſprudẽtiæ ſtudijs eruditio, grauiſſimisq; iſtius Sacroſanctæ Sedis negocijs pertractandis vſus, ac dexteritas; alterius in omni genere literarum, quæ nos ad humanitatem informant, exacta cognitio toto orbe notiſſima eſt; id quod etiam vtriuſque ſcripta manifeſtò demonſtrant. Sed & Ioannis alterius Tui fratris virtus Tibi ad tantã ſapientiã præiuit, quem meritò Pius Quintus Pont. Max. pręclarorum ingeniorum acerrimus æſtimator ob egregia ipſius animi bona in Cardinaliũ ordinem cooptauit. Igitur ad optimam Tuam indolem domeſtica quoque acceſſerunt exempla, quæ ſanè plurimùm in vtramque partem valere conſueuerunt. Ficta probitatis oſtentatio facilè detegitur, nec diù poteſt ſimulari; ea certè ſi in Te fuiſſet, tot prudentiſſimos, & ſapientiſſimos viros, qui Te familiarius cognitum haberẽt, longo tempore non fefelliſſet, nec

cum

eum sibi, totiq; Christiano orbi præesse voluissent, à cuius moribus omnis fucus, & fallacia non abesset; præsertim cùm in sacro isto Purpuratorum Ordine plures reperirentur, quorum virtus, & probitas omnibus perspectissima esset: neq; verò vita Tua in obscuro latuit, vt, qui de Te hoc præclarũ iudicium fecerunt, videri possint opinionem quandam probitatis potius secuti fuisse, quàm ipsam rei veritatem: nam, vt alia interim prætermittam (neque enim finem vllum mea reperiret oratio, si vel tantùm summa capita rerum præclarè à Te gestarum attingere vellem) nobilis illa Tua Legatio ad Sigismundum Suetiæ, & Sarmatiæ Regem de grauibus, & ad vniuersam Christianam Remp. pertinentibus negocijs, qui vir esses, & quantus manifestò declarauit: sed, vt dixi, ne cuncta anteactæ vitæ Tuæ præclara facinora singillatim commemorem, quod etiam, vt maximè vellem, vix, ac ne vix quidem pręstare possem, postquam ad hoc Honorum, ac Dignitatum fastigiũ, supra quod in terris ascendere non licet, à Deo euectus es, quænam quæso religionis, iustitiæ, clementiæ, pietatis exempla non edidisti? Flagrabat paulò ante pernicioso, atque intestino bello Gallia omnis, postquam Henricus huius nominis Tertius Rex nulla non virtute cumulatus improuiso, atque inopinato casu ex humanis excessit: Erant qui Henrico Borbonio, ad quem Regni illius successio iure

ſanguinis pertinebat, prauas opiniones de Chriſto, eiuſq; in terris Vicario clanculum inſtillarent, ipſiſq; Regium animum penitus imbuere niterentur, & ad praua, pernicioſaq; impij illius Caluini dogmata ſiue fouenda, ſiuè ſuſcipienda enixè hortarẽtur, homines nimirùm neqiſſimi, ac perditi, & qui ruina, & interitu iuuenis planè Regij potẽtiam ſuã, & dominatũ in Gallia ſtabilire conarentur, vt purã, ſinceramq; religionem à Clodouei Quinti Francorum Regis temporibus in ea prouincia cupidiſſimè ſuſceptam, & per mille centum fermè annorum ſpatium conſtantiſſimè retentam armis, & machinationibus penitus exturbarent, veræq; pietatis, ac Religionis ſpecie toto Regno per vim, ac dolum exterminarent, eiusq; vice impiam quandam Zuinglij, & Caluini teterrimorum hominum perſuaſionem, ſiue potius effrenem rerum omnium licentiam paulatim inueherent. Cuncta armis perſtrepebant, ingẽs belli incendium illic excitatum eſſe apparebat, quod non modò Galliam omnem longè, latèq; peruagaretur, ſed vniuerſum etiam Chriſtianũ orbem non multò poſt eſſet correpturum. Præuidit illa ſua diuina mente Sixtus Quintus Pont. Max. hanc impendentem calamitatem; & quorſum res tanta breui caſura eſſet, non dubiè præſenſit; qua re incendio illi maturè occurrendũ ratus nullum non lapidem mouit, nihil penitus intentatum reliquit, quò ipſum ci-

tò reſtingueret; atq; in primis Regem ipſum vel ad ſanitatem reuocare, vel in priſca diſciplina aduerſus factioſorum hominum commenta, & opiniones retinere ſtuduit: hæc Eum præclarè meditantem mors inopinatò corripuit: Succeſſiſti Tu demum (CLEMENS OCTAVE) & in ipſo rerum diſcrimi ne ſalutare omninò remedium percommodè, atque in tempore adhibuiſti: auocaſti enim Regiam ſtirpem à prauis opinionibus, èq; manibus eorum penitus exemiſti, qui eam quaſi manicis, & vinculis conſtrictam detinebant, nec eò liberè ferri ſinebãt, quò maiorum ſuorum virtus, & ingenij præſtantis impetus ipſam incitabant: neque enim dubium eſſe poterat, quin Regia indoles ad optima quæque raperetur, quod ita eſſe res ipſa deinde ſatis ſuperq; oſtendit: hinc ſtatim euenit, vt Henricus Quartus Regni auſpicijs more maiorum fuerit inauguratus, imperijq; habenas communi omnium bonorum lætitia ſumpſerit, qui vſque ad illam diem ſeruus amicorum, hoſtis Chriſtiani nominis habitus fuit. Egregiè Tu quidem iſthoc facto boni paſtoris munus, parteſq; omnes impleuiſti, ac nomini, quod Tibi Pontifici non ſine diuino numine inditum fuit, cumulatè reſpondiſti: Atque hinc etiam factum eſt, vt bellum, quod antea cum ipſo Chriſto geri quodãmodo videbatur, quodque totius nobiliſſimæ illius prouinciæ perniciem ſecum trahebat, ad priuatas

quaſ-

quaſdam duorum Regum inimicitias trāslatum ſit, quos Tu Reges vt componeres, nihil non conatus, nihil ſummo ſtudio nō molitus fuiſti, vt tandē Tua diligētia, & auctoritate inter eos firmiſſima pax coaluerit; quod totum vni Tuæ prudentiæ, ac pietati cuncti acceptum referre debent: Hæc res bonorum animos ita voluptate compleuit, huiuſmodi gaudio Chriſtianos homines tam lętum nuncium affecit, vt nihil cuiquam iucundius, atque optatius in vita accidere potuerit: Primùm enim Chriſtiana Reſpub. à grauibus, & inteſtinis bellis, quibus iamdiu exagitata propè corruit, interquieſcet, ac pacis commodis tandem aliquando frui incipiet; deinde communes vires aduerſus communem hoſtem expedire, ac dirigere poterit, quas aliter profundere non aliud eſſe dixeris, quàm Chriſtum ipſum in ſuis membris acerbè dilaniare. Hoc vnum egregium factum, vt alia omnia abeſſent, Tuum in terris nomen celebre, atq; immortale reddere poteſt, Teq; in cœleſtibus ſedibus æterna illa beatitate dignum efficere, in quam Tu ſemper oculos, atque animum intentos habes, ita quidem, vt numquam alibi reſpicias, numquam cogitationes Tuas aliorſum conuertas. Atque, vt omnes Tuæ actiones ad vnum Chriſtum tantūmodò referuntur, nullum proprium commodum ſibi propoſitum habent, maiorem vtiq; voluptatem huius duorum illorum Regum animorum conſenſio-

nis

nis accepto nuncio Te hausisse nouimus, quàm vlla ditioni Ecclesiasticæ vrbium, prouinciarumq; accessione, quamquam & hoc quoq; caussam publicam respicit, sed illud verè est Christi regnũ amplificare, & fines istius Sacros. Sedis longè, lateq; promouere. Huic insigni, & nũquam satis laudato facinori proximum est, quod totis his quatuor proximè superioribus annis in bello Turcico pstitisti; nã cùm Amurathes Turcarum Imperator infesta signa in Pannoniam intulisset, cunctaq; igni, & ferro latè popularetur; atq; etiam Iauarinũ munitissimam illius prouinciæ arcẽ vi, & armis expugnasset, eoq; res Christiana propemodũ deducta esse videretur, vt de Italia defendenda iam esset cogitandũ, ea Rodulfo Austriaco Germanorum Imperatori, & Christianæ religionis acerrimo vindici auxilia submisisti, vt eis impetum hostilis exercitus non modò represserit, ac retuderit, sed etiam fregerit, ac penitus disiecerit. Nam Strigonium prænobile Pannoniæ oppidum, & aduersus Barbarorum incursiones munitissimum propugnaculum Tuis militibus è Turcarum manibus ereptum fuit, post alterum & quadragesimũ deniq; annum, quo id Solimanus nostris ademit. In hac Vrbe, quę totius Regni metropolis perhibetur, sacra demum Christiano ritu celebrari, ac veri Dei cultum bonorum omnium incredibili cum voluptate, ac plausu reuocari vidimus, nimirum opera, &

consi-

conſilio Tuo (Pontifex Maxime) qui non ſat habẽs magnã vim militium, ac pecuniarum tùm ipſi Chriſtiani nominis Imperatori, tùm Sigiſmundo Battorio Daciæ Regulo ſuppeditaſſe, Io. Franciſcum Aldobrandinum gentilem Tuum virum ſtrenuũ, Tibiq; longè cariſsimum illuc ſemel, atq; iterum mittere voluiſti; ſcilicet vt eius prudentia, conſilio, auctoritate res melius procederent, eiuſdemq; præſentia cuncta fidelius adminiſtrarentur; tantus Te amor ceperat boni publici, & ſalutis eorum hominum, quibus Turca graue ſeruitiũ quotidiè minitatur: ac niſi Deus Opt.Max. impietatis, ac ſcelerũ pęnas à quibuſdam ſummo iure repoſceret, iam Tua opera, ac ſtudio ſplendidiſsimum de truculento illo tyranno triumphum duci vidiſſemus; neque.n. rei benè gerendæ occaſionem, & facultatem, ſed voluntatem potius aliquibus noſtris ducibus defuiſſe conſtat; quantùm igitur quorundam ſegnities reprehendi meretur, quę tàm inſignem victoriam, nec difficilem paratu ſibi è manibus elabi paſſa eſt, tantùm Sanctitatis Tuæ feruens ſtudiũ ad hoſtem profligandum, totoq; regno penitus exuendum cõmendari debet; quamquã quod hactenus omiſſum fuit, breui vtiq; effectum iri certiſsimis indicijs auguramur, adeò in hanc rem noctu, atq; interdiu Te ſedulò, ac diligenter incumbere nouimus, & quidem vel Te auctore, & impulſore tanta res tranſigi debet, vel

omni-

omninò de Pannoniæ, Daciæ, ac Germaniæ, addo etiam Italiæ nostræ, cuius fores vtraq; manu Turcarum imperator iam validissimè pulsat, incolumitate actum est, adeò cõmunis, atq; acerbissimus Christiani nominis hostis frequentium victoriarum accessione insolenter se effert. Decessit nuper Alfonsus Atestinus Ferrariensium Dux, cuius morte Vrbs ipsa Ferraria, & reliqua eius ditionis oppida ad Romanam Ecclesiam lege redierunt; Existimabat Cæsar Atestinus non nihil iuris in illa oppida se habere, atq; iccircò in Ferrariæ possessione tantisper saltem sibi esse licere, donec impensæ, quæ à superioribus Regulis in Vrbe illa, & agro factæ dicerentur, & quarum caussa publica vectigalia, cæteriq; ditionis illius redditus aucti essent, præsenti pecunia sibi restituerentur. Hæc res iam inde vsque à Pontificatu Pij Quinti multùm, diùq; in consultationem vocata est, cùm persæpè Alfonsus instaret, vt Cæsar, quem alioquin à iure succedendi prorsus exclusum esse sciebat, noua concessione inter beneficiarios, vectigalesq; Pontificum reciperetur. Semper visum fuit Sãctissimis illis Patribus hanc rem Alfonso ipsi peramplas conditiones, & ingentia præmia offerenti iustissimis de caussis minimè concedi oportere; itaq; cùm post ipsius morté Cæsar se pro Ferrariensium Duce palàm venditaret, huius rei Tu quidem indignitate vehementer, vt par est, commotus fui-

sti: cùmq; propterea ius Apostolicæ Sedis vi, & armis Tibi statim persequi licuisset, nihilominus, vt spatium resipiscendi, & ad se redeundi homini dares, verbis, & cōmonitionibus cum eo non semel egisti, atq;, vt ab alienis rebus manus abstineret, quodque nisi per summam iniuriam obtinere non posset, volens, ac libens dimitteret, plurimùm es eundem cohortatus, neq; interim tamen ei prohibuisti, quin ius suum placidè, &, vt leges iubent, experiretur, imò verò publicè proposito edicto ad id peramanter hominem inuitasti, qua in re clementiæ, ac paterni amoris non leue sanè specimen præbuisti; nam Tibi obuersabantur animo miseriæ, & calamitates, quas bellum, quod necessariò Tibi erat suscipiendum, si ille pertinaciter imperium recusaret, esset pariturū: Itaq; cùm primum spes rei componendę Tibi affulsit, eam statim percupidè arripuisti, pluraq; de Tuo iure tùm familiæ nobilitati, tùm Principibus, qui à Te id vehementer contenderent, tùm Cæsaris iam nunc succrescenti virtuti largiri maluisti, quàm vel vnius militis interitu ingētia cōmoda, quæ non dubiè sperare poteras, adipisci; neq; id tamen sine istius Sacros. Sedis maxima dignitate effectum est, quam Tu semper ante oculos propositam habes. Indigebat ea res dexteritatis, & diligentiæ singularis, nec Tu poteras tot negocijs vnus sufficere, quocirca, tametsi ijs virtutibus, quæ necessariò tunc requirebantur,

tur, complures in isto Purpuratorum consessu maximè excellerent, Tu tamen Petrum Aldobrandinũ Cardinalem Amplissimum, & in quem omnia bona Deus Opt. Max. effudisse videtur, summa prudẽtia, ac diuino vtiq; consilio delegisti, vt eo administro tantum negocium transigeres; licet nihil quicquam paulò grauioris momenti accidat in Repub. Christiana, quod non eiusdem contentione, & studio percommodè conficiatur, adeò à teneris annis moderationem, prudentiam, dexteritatem, constãtiam, grauitaté imbibit, vt verè Tu Petrus, ille Clemens videri posit. Is, cùm Tuos sensus optimè teneret, opinioniq; de se apud omnes iamdiù commotæ vndequaq; respondere percuperet, omni ope sibi laborandum censuit, vt susceptum negocium, ac totius rei summam ad optatum finem perduceret; neq; ea in re voluntatem Tuam, cunctorumq; de se expectationem fefellit; ac ne potuisset quidem, cùm is à Te in Christi Ecclesia veluti planta constitutus, ac diligenter excultus fuerit, vt non modò præstantes inde flores apparere, qui bonorũ animis iucũditatẽ, & spẽ vitæ lætioris afferant, verumetiã fructus osten di debuerint, quibus alantur Christianæ mẽtes, quibusq; nihil esse potest non modò suauius, verumetiã ad æternam salutẽ vtilius: & iure quidem fit, vt tali dignitate decoratus talẽ se præstet is, qui natus in illustri familia, educatus, atq; institutus in ea domo, in

qua ſemper viguit pietas, ſemper culta probitas eſt, totũ ſe ad tanti præceptoris, tanti patris, tanti principis imitatienem contulit. Igitur eius opera, & conſilio, quod cum Tuo ſenſu (Beatiſsime Pater) mirificè congruit in Ferrariæ poſſeſsionem perueniſti, quòd vix fieri poſſe initiò videbatur, huiuſmodi ſunt hominum iudicia de viribus Pontificijs: Sed nunc demum compertũ eſt Auguſtiſsimæ iſtius Sedis arma valdè quidem eſſe pertimeſcenda, nam & ancipitia vtiq; ſunt, ac cęſim, punctimq; feriunt, &, quod plurimùm ſemper valuit, non niſi ſumma iuſtitia promi conſueuerunt, vt meritò ipſius immortalis Dei manu vibrari credantur, quam quis effugiat? aut cuius ictum quis vunquam tardabit? Conſequens eſſe videbatur, vt poſtquam Te maximè verendum cunctis oſtendiſti, clementiæ quoque Tuæ fructus aliquos in Ferrarienſem populum diffunderes: ergò publici redditus, & vectigalia, quæ iam in immenſum creuerant, quibuſque propterea plebs illa ita premebatur, vt propemodum opprimeretur, intra modum ſtatim cohibuiſti, licentiáq;, ac petulantiam factioſorum hominum, qui ſuo arbitratu, nulliſq; legibus aſtricti, præſertim ſi cum tenuioris fortunæ hominibus negocium ipſis intercederet, viuere conſueuerunt, ita quidem temperaſti, vt nunc omnibus æqua ſit viuendi poteſtas. Et, vt reliqua, quæ adhuc ſuperſunt ad optimè Vrbem illam,

illam, &, vt Christianum Principem decet instituẽdam, ac temperandã, perficiantur, necessarium duxisti (Beatissime Pater) isthac ingrauescenti ætate, isthac valdè iam affecta valetudine, hac anni non omninò cõmoda tempestate ad eam Vrbẽ Te quãprimum conferre, vnde propius clementiæ Tuæ, ac pietatis radios, ceu Sol, qui cuncta suo lumine collustrat, quàcunq; opus fuerit, disseminare posses, & quidem Card. Aldobrandinus eam sementem illic fecit, ac Tu deinde clementiæ Tuæ radijs ita eam fouisti, vt vberes, ac suauissimos fructus in dies expectare liceat; Sed tamen longè plura adhuc, longeq; præstantiora de eadem illa Tua pietate, clementia, studio ad Christianam Rempub. propagãdam sibi cuncti pollicentur, ac nemo iam dubitat, quin restinctis iam Tua opera duorum Christianorum Principum odijs, ac dissidijs eam animorum, ac virium coitionem inter eos instituas, quæ communem tyrannum, & nominis Christiani infensissimos hostes funditus euertat, ac deleat, præsertim cùm in Pannonia res prosperè fluere videantur, ac iam Dei fauor non dubijs indicijs incipiat apparere Iauarino, cuius modò commemini, diuino quasi quodam miraculo tàm facilè ex hostium manibus extorto; quo Tu nuncio audito lachrymas præ gaudio continere non potuisti. Ergo nemo non sperat, vt his prosperis successibus Christiani Principes incitati,

&

& auctoritate Tua, paternisq; admonitionibus impulsi quàmprimùm arma expediāt, vt communem hostem coniunctis viribus adoriantur. Ac iam cuncti populi fidenti, & alacri animo ad tàm nobile, tàm exoptatum, tàm pium, tàm necessarium bellum se certatim comparant, vt nemo futurus sit, qui non libentissimè fortunas omnes suas, & sanguinem pro Christi caussa profundat, modò vexillū illud, quod nos ad cœlestia regna non dubiè vocat, compendiariumq; iter ad ea ipsa nobis patefacit, tandē aliquando proferatur. Hæretici quoq;, quorum ingenium hactenus contumax fuit, & refractariū, sensim incipiunt non minus Tuæ vitæ continentia, & sanctitate permoti, quàm Christianæ doctrinæ veritate persuasi cordis illam duritiē mollire, ac frangere, suauissimumq; Christi iugum subiectis verbo ipsius ceruicibus demissè recipere: Sed & alia quotidie moliris, & perficis, quæ ingentem scriptoribus materiā præbebunt, in quam vim omnē eloquentiæ penitus effundant; eademq; futuris Pōtificib. exemplo esse poterūt, quo animi ardore, quantaq; sollicitudine ius Apostolicæ Sedis, Christianiq; gregis incolumitatē tueri, ac quærere oporteat. Nam quod sæpè aliquot Pontifices post Vrbanum Secundum magno studio efficere conati sunt, vt in Turcas, reliquosq; Christiani nominis hostes piorum Principum vires vniuersæ penitus effunderētur, ac Iudeæ regnum è pro-

fanæ

sanæ illius gentis manibus per vim extorqueretur, omnes à Te breui transactū iri sibi persuadent; neq; enim quisquam dubitat, quin hæc Tua profectio grauissimorum negociorum caussa suscepta fuerit, atq; intra se maius quiddam contineat, quàm quod prima fronte præseferre videatur. Atq; in hac opinione magis adhuc homines confirmantur, quòd Philippus Austriacus Hispaniarum Rex Pōtificum mandatis numquam se obsequentissimum non præbuit, ac nihil magis vnquā in optatis habuit, quàm pro Christiana religione egregium aliquod facinus perpetrare. Henricus verò Galliæ Rex non minori & ipse quoq; eiusdem rei desiderio flagrare dignoscit, id quod hactenus palàm ostendere ei non licuit multis de caussis, quæ, quoniam omnibus in promptu sunt, consultò à me prætermittuntur; sed nullo certè pacto dubitari potest, quin & ipse quoq; maiorum suorum vestigia persequi velit, quæ adhuc in nobilissimo illo Iudeę regno impressa cernūtur. De Venetorum autem Rep. quis dubitabit? cùm ea periculo propior sit, nec ad quemquā magis pertineat illius tyranni vires debilitare, & infringere, quàm ad ipsam; itaq; certum est fore, vt ea priuatæ nonnullorum vtilitati propriam, totiusq; Christiani nominis publicam salutem præferat; & fluxam, maleq; coalitam pacem, quàm tyrannus ille suo arbitratu & seruat, & infringit, nō quidem violet, sed tanquā

vi

vi extortam pro infecta habeat, Christiq; voci ad se nobilissimam illam gentem quodammodo reuocanti volens, libensq; obtemperet; vnde fiet, vt absq; alicuius hortatu & Sarmatæ Europæi, & Moschi, & Armenij, & Persæ, & Arabes, & Aethiopes certatim rebus suis consulant, & quisq; pro viribus tyrãnidem illã excutere, ac subuertere conetur. Nec plures huic tantæ rei adiutores deerunt, nam & Germaniæ Principes in partem gloriæ venire cupient; nec nostri Itali vllis vnquã sumptibus, ac laboribus parcent, quominus & ipsi quoque in tàm illustri bello egregiam operam nauent: ac iam Ferdinandus Medices Magnus Dux Etruriæ, quo animi ardore erga hanc insignem expeditionem feratur, abundè superioribus annis declarauit, cùm semel, atq; iterum non exiguas copias, & fratrem pręterea consilio, manuq; promptum, lectissimosq; nepotes in Pannoniam miserit. Vincentius quoque Gonzaga Mantuanorum Dux nequaquam se continere potuit, quominus cum insigni peditum, equitumq; delectu illuc celerrimè aduolaret, vt prælio, quod cum Turcis commissum iri sperabatur, interesset. Cæsar quoq; Atestinus maiorum suorum virtutem egregiè æmulatus futuræ suæ gloriæ primordia in tàm nobili expeditione libenter auspicabitur. Raynutius verò Farnesius egregius & ipse quoq; adolescens, & in spem gloriæ paternæ, ac nobilissimæ domus, in qua virtus omnis,

&

& liberalitas tanquam in proprio domicilio ſedes iamdiù fixit, genitus laudem à maioribus ſuis partam, ac nuper à patre aduerſus bellicoſiſſimas nationes mirificè amplificatam nō modò tueri volet, ſed etiā longè ſuperare conabitur. Nec minus Genuenſiū Reſp. huic expeditioni plurimùm adiumēti, qđ ipſam aliàs in perſimili cauſſa egregiè præſtitiſſe cōſtat, terra, mariq; ſuppeditabit: ac nullus deniq; Princeps, & Reſp. in tanti muneris partē certatim venire non cōtendet; cùm Tu præſertim Deo auctore, atq; impulſore claſsicū cecineris. Sed nec duces quoq;, & imperatores tātæ rei defuturos video, q veteres illos Goffredos, Boemundos, Vgontes, Gualteros, Tancredos; aut recentiores Coruinos, & Caſtriotos virtute referant: nam præter Auſtriacos fratres, & Sigiſmundum Battoreum, ac nonnullos Germaniæ proceres, quorum virtus ſuperioribus bellis non ſemel enituit, plures in Gallia, Belgio, Hiſpania reperiuntur, quibus meritò tantum imperium demandari poſsit: Sed Franciſcus Maria Vrbinatium Metaurenſium Dux præſtantiſsimus adeò nunc prudētia, conſilio, auctoritate, rerum bellicarum vſu, & peritia inter omnes excellet, vt cunctorum oculos in ſe vnum conuerterit. Carolus quoq; Allobrogū Dux, & Subalpinorum Princeps ea militaris diſciplinæ documenta iamdiù præbuit, vt meritò tantæ rei preſici poſſit: Sed hoc, & alia omnia, quæ iſthac

diuina mente (Beatissime Pater) assiduè meditaris, prudentia Tua facilè expedies: minorum autem præfectorum, & eorum, qui ordines ducāt, tanta copia nunc Tibi suppetit, vt ex his vel iustus exercitus facilè conscribi possit; contrà verò adeò attrita est res Otomanica, ea militum, ac ducum penuria laborare dignoscitᷣ, vt veluti grex absq; pastore, incondita, & imbellis illa turba hûc, atq; illûc omni consilio, ac viribus penitus destituta temerè oberret; sic olim Cyclops ille, cui (vt est in fabulis) oculum, quo vno fuerat præditus, Vlysses eruit, vasta corporis mole hûc, atq; illûc nutabundus, & cadenti similis ferebatur, ita ut cuiuis facilè esset ipsum humi prosternere, atq; interficere: hanc Tu tantam opportunitatē (Beatissime Pater) diffluere non permittes. Sed & ferox ille Golias, qui vnus complures Hebræorum singulari certamine contumeliosissimè prouocare consueuit, vnius deniq; adolescentis, atq; illius quidē inermis funda prostratus temeritatis suæ iustissimas pœnas dependit; & quidem ita humano auxilio fidendum est, ne in diuino parùm præsidij posuisse videamur. Memorant sacræ literæ Gedeonem, cui postmodum è re ipsa Ierobaali nomen inditum ferunt, cùm aduersus Madianitas, & Amalechitas exercitū comparasset, iussum fuisse à Deo, vt ex trigintaduobus hominum milibus, quos in armis haberet, eos tantummodò secum retineret, qui nullo futuri præ-

lij

lij timore corriperentur; itaq; decem milia dumtaxat cum eo remāsisse; ac, ne ij spem victoriæ in suis viribus ponerent, iussisse Deum, vt eos modò sub signis retineret, qui canum ritu aquam ex flumine lāberent, dimissis cæteris, qui in genua procumbentes è flumine haurirent; illos tercentum tantummodò fuisse historia narrat, quorum ope, & auxilio ingentem hostium multitudinē præter omniū expectationē Ierobaalus in fugam vertisse dicitur; sed qui Deū propitium haberet, nihil vtiq; sibi pertimescendum esse intelligebat: hos paucos igitur Ieroboalus summi, atq; omnipotentis Dei iussu ad non dubiam victoriam perducebat, cùm Leonidas ille Spartanus totidem, quos Persarum regi ad Thermopylas obiecit, in apertū vitæ discrimen coniecisset: Sed & Ie-ricuntis mœnia diuino auxilio statim corruerunt, cùm circum ea sacri fœderis arca sacerdotum humeris sublata ferretur, & sacrę buccinę vndiq; insonuissent: Hæc Tibi (Beatissime Pater) assiduè ob oculos obuersantur; atq; ea Tua est de diuino auxilio spes, & fiducia, vt, quemadmodū Pij V. viri & maximi, & sanctissimi precibus gloriosā, ac penè incredibilem victoriā superioribus annis aduersus immanissimū hostem ad insulas Echinadas diuinitus partam nouimus, ita breui Tua ad Deū deprecatione splendidissimū in Pānonia ex eodem tyranno trophæū Rodulfo Austriaco statuere liceat. Equidē sentio me

rerũ hactenus à te præclarè gestarũ multitudine fermè obrui, &, quemadmodum vasa, quorum venter amplus est, os verò angustum œgrè liquorem fundunt, sic nunc ego plura, quæ mente, animoq; concepi, nulla sanè ratione dicẽdo explicare me posse intelligo: Ac præterea maximè vereor, ne qui ea lõgè supra suum captum esse sentiunt, non veritati me inseruire, sed Tibi potius blãdiri, ac delicias facere voluisse existimẽt; siquidẽ ita natura comparatũ est, vt quæ se factis assequi posse homines diffidãt, de alijs eadem falsò prædicari autument, vel saltem illis inuidiosè aures præbeant, ipsaq; in animũ œgrè prorsus admittant. Si qui fortè hîc adstant tã peruersa natura, & ingenio pręditi, vt quicquam tale existiment, ij nimirum longissimè quidẽ à veritate feruntur, nec satis Te (Beatissime Pater) nouisse videntur, nisi si potius praua animi inductione, aut etiam oculorum vitio à luce abhorrẽt; est enim omninò Tua vita illustriori loco posita, quàm vt à quoquã ignorari possit: de me verò, qui semper intra meos lares cũ vxore, & filiolis libenter me continui contentus ijs facultatibus, quas meo mihi labore, & industria quotidie parare possem, nec vnquam aulicam vitam attigi, imò verò quodam humili, ac nescio an subrustico pudore lucem istam, & fulgorem purpuræ vel consultò vitaui, vel certè non magnopere quæsiui, non æquũ iudicium faciunt; nam tan-

tantũ abeſt, vt vlla ſpe, aut cupiditate illectus viribus eloquentiæ, quę in me vel nulla eſt, vel certè perexigua, quicquam veritati affinxerim, vt potius panegyricorum leges prorſus contempſerim, nec rhetorum præcepta ſatis diligenter cuſtodierim: illud.n. mecum reputabam, me coràm Pontifice, & coràm eo Pontifice, qui cunctas ſuas actiones ad Deũ Opt. Max. ipſiusq; gregis commodum, & vtilitatem dũtaxat referat, verba facere; quocirca maximè cauẽdum mihi fuit, ne ipſius modeſtiam, pietatem, verum erga Dei cultum ſuboffenderem; præterquam quod omnes hi ſanctiſsimi Patres, qui hîc aſsident, Tuorumq; conſiliorum cauſſas, & rationes optimè norunt, tacito mentis cõuicio vanitatis me inſimulare poſſent: ac fortaſſe ne boni quidem oratoris, qui & idem vir bonus in primis eſſe debet, munus obirem; Equidem literarum monumẽtis proditum eſſe memini; Ageſilaum Spartanorũ Regem ad eũ, qui rhetorem laudabat, quòd vi, & facultate dicendi res paruas magnas efficeret, ſapienter dixiſſe, ne ſutorem quidem probum ſibi videri, qui paruo pedi magnum circundet calceum; tàm verò peccat, ac mendacij labem contrahit is, qui quod nunquam ab aliquo factũ ſit, ei per delicias tribuit, quàm qui vera ſupra modũ extollit, atq; orationis artificio in immenſum adauget; neque aliunde malè audijt Cephiſophon, qui profitebatur ſe de qualibet re inte-

grum

grum diem dicere posse, cùm existimarent sapientes illi viri, boni oratoris esse orationẽ rebus æqualem habere. Ancillẽtur igitur suis Principibus homines blandiloqui, &, vt videri volunt, belli, atq; vrbani, neq; non plenis vlnis in suos Traianos, Maximianos, Constantinos, Theodosios, Iulianos, Gratianos laudes, hoc est meras adulationes, meraq; mendacia certatim congerant: ego homo fermè subrusticus, nec ingenio, aut studio blandus, aut vllo modo ad adulationem effictus de Christi Vicario non nisi vera, atq; omnibus explorata proferã; eaque ipsa cursim, & summatim potius indicabo, quàm fusè, & oratorũ more prosequar: quamquam ne hoc quidẽ pluribus faciam, cùm initiò mihi proposuerim non quidem laudes, & res præclarè à Te gestas singillatim commemorare, sed tantummodò testificari gaudiũ, & voluptatem, quam ex Tuo in hanc Vrbem aduentu Bononienses ciues perceperunt; sed nullo tamen pacto præterire possum diligentiam, & studium, quod assiduè adhibes in corrigendis, castigandisq; moribus Christiani populi: quin, vt cuncta rectius procedãt, Christiq; cultus ea, qua decet, dignitate administretur, Tu ipse in Sacerdotum vitam sedulò inquiris, nec vlli prorsus labori parcis, vt eorum doctrinam, mores, vitæ integritatem, accurationem in suis muneribus fungendis probè cognita habeas: Itaq; crebrò inuisis collegia,

gia, monaſteria, ſodalitates, cœtus eorũ, qui Deo magis particulatim ſe dediderunt; nec cuiquã munus vllũ in Chriſti Eccleſia obeundũ imponis, quem non prius diligenter, ac ſæpè Tu ipſe propoſitis quæſtionibus ad officium, quod ei demandare cogitas, pertinentibus excuſſeris, atq; exploraueris. Iam neminẽ in Epiſcopum eligis, quem non longè etiam accuratius pertentes, &, vt aiunt, intus, & in cute perſpicias; ſcis enim, quàm eius vitam irreprehenſibilem eſſe oporteat, à quo nimirum cæteri deinde rectè viuendi exemplum petunt. Quid verò dicam de delectu, quem in Cardinalibus creandis adhibere ſoles? quàm prudenter, quàm ſincerè, quàm circunſpectè eo in negocio ſemper verſaris? vtpote qui Te Chriſto in terris ſocios, & diſcipulos eo facto adiungere probè intelligas, quod quanti ſit ponderis, ac momenti nemo eſt, qui ignoret. Si vlla vnquam in re Pontificum natura, & iudicium dignoſci poteſt, in Cardinalibus eligẽdis id præcipuè perſpici conſueuit, nam quilibet pro ſuo ſenſu comites ſibi, & adminiſtros adiungit, eosq; in primis ſibi ſtudet aſciſcere, quorum ingenium cum ſuo vehementer cõſentit. Neminem Tu ea dignitate, quæ, vt proximè ad ſupremam accedit, ita ſumma vtiq; circũſpectione tribui debet, vnquam Tibi exornandum putaſti, cuius vitæ integritas, & innocentia, ſumma erga Deum Opt. Max. pietas, & religio, exquiſita

bona-

bonarum literarum cognitio, & disciplina, cunctæ deniq; virtutes, quæ Christianum hominem in primis decent, non Tibi modò, cuius iudicium in tanta re falli non potest, maximè probatæ fuerint, sed cunctorum etiam prædicatione palàm sint cognitę, atq; perspectæ; vt non tanti faciāt homines in Cardinalium se ordinem cooptari, quàm à Te, qui in eum referantur, dignos existimari. In hac re nihil Principum gratiæ, nihil familiarum nobilitati, atq; amplitudini, nihil sanguinis coniunctioni Tu vnquam tribuisti: quantum quisq; meritus esset, tantum apud Te gratiæ semper obtinuit, vt etiam non fueris veritus, cū res ita tulit, in summorū virorum indignationem, & odium incidere, ac Principum quærimonias magno animo semper contemnere, cùm Tibi nihil magis curæ sit, quàm Christi honor, & glória, istiusq; Sacros. Sedis dignitas, & respectus, præ quo cuncta nihili ducis. Iam verò de summa liberalitate, qua pauperum inopiam, & miserias assiduè subleuas, plura commemorare superuacaneum fuerit, cùm hoc adeò proprium sit Tuæ pietatis, vt nihil omninò magis, inq; eam rem non exiguam pecuniarū vim quotidie soleas erogare. Atq; hæc de Te (Beatissime Pater) non generatim, & cōmuniter ita dicuntur, vt eadem de alijs quoque dici posse videantur, sed propriè, & particulatim Te vnum respiciunt, præterea neminem. Plures non

popu-

populorum caussa magnorum negociorum administrationem suscipiunt, sed sui tantummodò commodi gratia imperium sibi deferri cupiunt, persimiles mercennariorum, qui non gregibus curandis studium, ac diligentiam adhibent, sed pecori deglubẽdo intenti sunt. Tu magnum onus in magna dignitate agnoscis, & nisi Dei negocium ea in re versaretur, summo isto Magistratu, quem multi ambitiosè nimis deposcunt, non inuitus Te abdicares: sed nec admodũ hilari animo eum suscepisti, cùm quantũ oneris in Tuos humeros reciperes, non ignorares; vt Tuo exemplo sanctissimorum illorũ Pontificum memoriã vtiq; renouari cognouerimus, qui ex speluncis, & latebris, in quas de industria se abdiderãt, inuiti, ac repugnantes, ad summũ Pontificatũ educebantur: nam, etsi Cardinalem agebas, ita tamen totum Te veræ pietatis operibus, & contemplationi dedideras, vt mente in cœlum translatus quodãmodo videri potueris. Denique, ne mea se oratio præter modum diffundat, ac Tibi (Beatissime Pater) Tuarum rerum commemoratione molestus appaream, quæ de pluribus Pontificibus singillatim recenseri possent, ea de Te vno verè affirmare licet: ac, quemadmodum Roma orbis compendium esse fertur, sic Tu omnium sanctissimorum Pontificum quædam quasi viua, & expressa imago cẽseri potes: quibus de caussis vniuersus Bononien-

ſis populus, qui ſub Tua placidiſſima, & æquiſsima gubernandi ratione conquieſcit, incredibilem ex aſpectu Sanctitatis Tuæ voluptatem capit, ſeque Tibi non ſolùm communi omnium Chriſtianorũ, & qui ditioni Pontificiæ ſubſunt, nomine obſtrictũ eſſe agnoſcit, ac præſefert; ſed magis etiam particulares cauſſas huius cultus, & obſeruantiæ ſe habere profitetur; in primis verò, quòd ex itinere hûc deflectere voluiſti, vt auguſtiſsima præſentia Tua cunctorum ciuium animos, & oculos oblectares, atque vniuerſum populum præteritorum annorum incõmodis non mediocriter conflictatum reficeres, ac recreares, cuius Tuæ erga Vrbem hanc propenſionis, & beneuolentiæ ne vnquam memoria intercidat, curauit iam Senatorum ordo quàm diligentiſsimè, ſed quiſq; ſuo in corde, atq; animo tanti beneficij teſtificationem libentiſsimè conſignabit.



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. PETRO ALDOBRANDINO SACROS. ROM. ECCL. CARD. AMPLISS.

ROBERTVS TITIVS BVRGENSIS.



As ego fortè notas duxi properante labore,
Quas meus expreßit non dubitandus amor,
Atque in Te obsequium, quod, quamuis longius absim,
Ipse tamen cupida nunc Tibi mente dico.
Ac, veluti exigua procêri membra colosßi
Effícta in tabula cernere sæpè licet,
Sic Tu hinc agnoscas Patrui moresq́, animumq́,
Et quæ quisq; in eo suspicit vsq; libens.
Nec Tua non pariter summatim gesta videbis
Haud expressa quidem, sed memoranda tamen.
Atq; vtinam liceat cuncta hæc quandoq; referre
Fusius, & maius texere detur opus.
Tu modò præstanti Iuuenis virtute faueto
Ipse mihi, & properans in mea vota veni.

AD
EVNDEM SANCTISSIMVM
DOM. NOST.
CLEMENTEM VIII.
PONT. OPT. MAX.
CARMEN.





T vultu, atq; animis hilares Te
cernimus omnes,
Aduentumq; Tuum lætis clamo-
ribus vnà
Prosequimur, nec cuncta Tibi
non fausta precamur,
Magne Pater? magni reseras qui limen Olympi,
Et mortale genus varijs erroribus actum
Vndanti pelago superas educis in arces,
Atq; agis in tutum dempta formidine portum.
Nam, veluti elatum radianti vertice lumen,
Dirigit incertos certo quod tramite cursus,
Ostenditq; viam miseris per cærula nautis,
Quò breuia, & scopulos valeant superare minaces,
Ac tutò cymba tumidos transmittere fluctus,
Cunctorum in Te oculos miris fulgoribus vnum

Con-

Conuertens cæli placida statione locabis.
Tu pacem populis, atq; aurea secla reducis
Post longam annorum seriem, post bella, famemq;,
Pulchra diù monstris quibus exagitata fathiscit
Europa, & plagas vix dum persanat acerbas.
In Te tantarum procumbunt pondera rerum
Pro Tibi commisso Christi grege, proq; vetusta
Relligione patrum, vita qui puriter acta
Non dubitanda sui nobis exempla dederunt;
Vt nisi sollicito verè cælestis adesset
Aura Tibi, haud dubiè grandi sub fasce labares:
Nam quis Gallorum potuisset perniciale
Dissidium procerum stabili componere pace,
Irarumq; æstus miti sedare quiete?
Cùm furor armasset populos, ac dextra minaces
Hinc, atq; hinc enses Regem strinxisset in ipsum:
At verum Christi cultum, certumq; salutis
Præsidium sæua arma inter, populosq; rebelles
Conseruasse artes longè supereminet omnes.
Hoc solum facinus claris Te interseret astris,
Efficietq; Tuum ventura in secula nomen
Conspicuum, cui tempus edax, cui nulla nocere
Vipereo suffusa queat mala lingua veneno,
Quamquam multa quidem possem benefacta referre,
Queîs Tibi ad æthereas mortali in corpore sedes
Sternis iter, rectaq; via succedis Olympo.
Nam neq; Turcarum vires, fastusq; superbos

Threi-

Threicij regis sine Te Germania ferro
Quamuis cincta latus, quamuis praestantibus ausis
Persimilem sese numquam non iactet auorum,
Contudit, aut Getia armipotens, aut Dacia bellax
Aeternum statuit truculento ex hoste trophaeum,
Ister vbi incanos prouoluens in mare fluctus
Battoreos latè pingues disterminat agros.
Deniq; praeclarum ducis sine caede triumphum,
Caesar Atestinus dum se Tibi subijcit vltrò
Deposito belli studio, ac Tua iussa facessit;
Tantum arma ostentata procul, Tuaq; inclyta virtus,
Ac ius, fasq; valent, rectiq; immensa cupido,
Qua raperis, veluti cùm summo è vertice montis
Imbribus hybernis auctus magno impete torrens
Labitur in praeceps, & cuncta obstantia latè
Proruit insultans campis vi victor, agitq;.
Aut perterricrepum ceu cùm cadit aethere fulmen
Ab summo, quod templa ferit, quod claustra reuellit,
Quod validas turres aperit, quod diruit arces;
Hinc meritò in Tua iura venit Ferraria diues,
Diues opum, atq; hominum clara virtute nitentum;
Teq; adeò exultans praesentem auditq;, videtq;
Auctorem pacis, largitoremq; salutis.
A quo fortè oculos si quicquam dimouet, ipsum
Respicit horum operum fautorem, alacremq; ministrũ,
Ingens qui semper quaerit Tibi demere pondus,
Vt quandoq; aliqua possis requiete potiri:

Scili-

Scilicet insignem Iuuenem, cui murice vertex
Enitet, ac vera pectus virtute refulget,
Flauentes licet ille tegat lanugine malas
Nunc primum, & solidæ ætatis vix inchoet annos.
Sic etiam pinguis tellus cùm ritè subacta
Suscepit semen sulcis, aut ordine plantas,
Præcôces reddit fructus, & grandia poma
Fundit ab arboribus, dulciq́; infecta sapore.
Hinc tanta Iuuenis virtute insignis auito
Tercitus exemplo sequitur vestigia nota
Abruptum per iter, quod Tu, fratresq́;, paterq́;
Emensi primos semper retulistis honores.
Hunc tamen interea proceres, sanctusq́; senatus
Iure colunt omnes, iure admirantur & vnum;
Nec dubitant, quin, cùm illius procedere nutu
Christicolùm res incipient, quarum ipse gerit nunc
Haud equidem exiguam partem, sit protinus orbis
Aurea visurus longo post tempore secla.
Inde mihi rerum nascetur maximus ordo,
Quas ego Mæonio quæram comprendere versu,
Si tantum mea Musa queat perferre laboris;
Quamquam nil verear tanto duce, & auspice tanto
Soluere cessantem puppem, & dare carbasa ventis?
Ac quamuis tenui sulcare immensa phaselo
Aequora, & ignotas ausim peruadere Syrtes.
Quid non suadet amor, laudumq́; insana cupido!
At certè haud deerunt vates, qui protinus isthæc

Facta vehant grauiore tuba super ardua mundi
Sydera, labentes vbi Gloria despicit annos.
His igitur Te, Sancte Pater, virtutibus auctum
Audijt, & vidit nuper Ferraria diues,
Diues agris, diues Cerealis mergite culmi.
At verò fama celebris Tibi Felsina multùm
Præcipuè gratatur ouans, nec gaudia mente
Tanta capit proprijs excita sedibus: Hæc Te
Grande decus mundi, solamen dulce laborum
Excipit ingenti plausu, votisq; precatur,
Vt Tibi fælices procedant ordine soles
Innumeri, ac vita in terris sine fine fruaris;
Namq; Tibi (nec vana ferar cecinisse, nec vllus
Me falsi arguerit: vitant mendacia Musæ,
Nec fallit cortina potens, atq; augur Apollo)
Certa sorte datum immitem superare tyrannum,
Qui nunc Pannonios fines, & regna beata
Quondam, nec totum non decantata per orbem
Ignibus euastat rapidis, ac cæde cruentat.
Hunc armis, hunc Tu diris, hunc supplice lingua
Conceptis castè votis toto orbe fugabis;
Vt Solymis iterum liceat præcepta salutis
Seruare, & nostri venerari numinis aras,
Quas ferus insultans victis sine more tyrannus
Disiecit passim, ac nostræ ludibria gentis
Ostentat cunctis, fœdatq; altaria templi
Infandum Abdaridem anteferens malè sanus IESV;
Dede-

Dedecus heu nullis vnquam delebile ſeclis,
Opprobriumq́ ingens regum, procerumq́ piorum,
Qui turpi aſſueti dudum marcere veterno,
Aut odijs inter ſe ſe certare malignis,
Communem produnt cauſſam, Chriſtumq́ trucidant.
Ille ſed interea multùm fera colla tumeſcens
Attollitq́ minas, diraq́ cupidine flagrans
Sanguinis hinc, atq; hinc ſæuis circuntonat armis;
Et nunc iam terræ, pelagiq́ capeſſere habenas
Certus opes prædæ noſtras, ac deſtinat vrbes
Excidio; atq; odijs ferrum ciuilibus in ſe
Vertentem Gallum, teq́ ò nil tale timentem
Hiſpane addicet conto, Rhætumq; ferocem,
Fidentemq; ſui Germanum compede dura
Aſtringet miſeros, & cæco carcere condet.
Tuq; ò adhuc ſopita iaces, inhonoraq; proflas
Europa imbellem toto de pectore ſomnum.
Haud aliter, fortes ſi quando arſere moloſſi,
Quorum peruigili commiſit ouilia curæ
Paſtor inalpinus, ſæuas audacter in iras,
Ac pugnam inter ſe ceperunt dentibus acrem,
Mutua dum alterius quærunt per vulnera mortem;
Prædator lupus immanem pecudumq;, bouumq;
Dat latè ſtragem campis, ducitq; rapinas.
Sed Tu, cui tellus, cui cæli ſydera parent,
Reſtitues veterem cultum, legeſq; ſacrorum
Deſuetas; puroſq; Deo libabis honores;

Impiaq; actutum prouolues tecta viciſſim,
In quibus incluſum memorant infame cadauer
Mendacis vatis, quod gens ſcelerata Mochura
Inuiſit medios poſitum longè inter Erembos:
Ac genus humanum miſeratus crinibus arctè
Correptam Europam excuties, ſi fortè ſoporem
Diſiiciat, pedicaſq; ferum conuertat in hoſtem,
Et miſeras longa gentes formidine ſoluat.
Nam Te nulla quidem noctuq;, diuq; fatigat
Cura magis, ſtimuliſq; animum pungentibus vrget
Acrius, vt cunctis caput obiectare periclis,
Res ita ſi poſcat, vitamq; profundere quicquam
Nil penitus dubites pro libertate piorum.
Tunc populi confertim omnes veſtigia quærent
Olim preſſa Deo, & noſtræ monumenta ſalutis;
Nanq; petent cliuum, nomen cui Palladis arbor
Indidit: hinc IESVM, *poſtquam penetralia Ditis,*
Ferratoſq; Erebi poſtes, & ſepta recluſit,
Spontè ſua conſtat ſolium aſcendiſſe paternum
Linquentem ſocios, & habentes nubila terras.
Atq; pari ſtudio cunctos adiiſſe iuuabit
Golgotha, vbi clauis idem confixus acutis
Immeritas pendit pœnas, vt faucibus Orci
Eriperet mortale genus, cœloq; locaret.
Nec non certatim vitrei tetigiſſe fluenta
Iordanis cupient, lymphamq; hauſiſſe ſalubrem,
Diuinos olim Chriſti quæ perluit artus.

Nec

Nec minus inuisent Siloem, laticesq; perennes,
Queîs lauere assuetus pecudes ad sacra paratas
Credidit Isacidum labes se auferre sacerdos,
Stultus, qui veram ficta sub imagine formam
Haud caperet, nec tanta rudis mysteria nosset.
Multi etiam frustrà quærent ingentia quondam
Templa Dei centum Parijs innixa columnis,
Æternasq; trabes, laqueata, aurataq; tecta,
Mira quæ Solomon populis fabricauerat arte,
Cælicolum regi sacra vt de more litarent;
Vix tantæ molis nunc signa extantia cernas;
Hinc vt scire homines liceat, sibi quemq; repostum
In corde, inq; animo proprium debere sacellum
Extruere, aßiduè triplex Vbi numen adoret.
At aliquis lentè perlustrans oppida, & arces
Abramidum seclis multùm celebrata vetustis;
Horum etiam inueniet cæmenta, & rudera paßim,
Nam tantorum operum vix solùm busta supersunt;
Quandoquidem Belme, Sochonq;, Acharonq;, Selisq;,
Et Sebama, atq; Reces, Casbonq;, & Graia Sebaste,
Bethlemiæq; arces, atq; altæ mœnia Lobnæ
Sparsa iacent dudum propria contecta ruina,
Fragminaq; in campis murorum hinc inde videre
Obsita vepretis licet, & squalentia musco,
Atq; obducta situ, tetraq; vligine septa;
Vt nunc indigenæ (tantum damnosa vetustas,
Ac hominum potuit rabies afferre malorum)

Auribus accipiant, ceu sint ea nomina ficta,
Hæc Tua, Summe Pater, præstabit sedula cura,
Quæ te vel noctes cogit vigilare serenus,
Ardentemq; animum nunc hûc, nunc versat & illûc.
Quin Bebrycum fines vltrà, gelidumq; Danastrum,
Grangaridũq; plagam, super & malè tuta Synarum
Litora, & Ammericæ tractus, tractusq; Cypangæ,
Quàq; iacent humiles dubio sub Sole Molucæ,
Imperium dabitur superumq;, hominumq; parentis
Proferre, & nati passim diffundere nomen.
Nec minus efficies, vt nunc Germania discors,
Albionisq; velint populi, Batauiq; propinqui,
Et Morini, & Rhæti, & Tungri sacra iura, fidemq;
Noscere post varios casus, post multa pericla,
Quæ passa est (nec vana loquor) gens inscia recti;
Dum sequitur commenta hominũ, fraudesq;, dolosq;;
Et priscos magna ritus mercede relinquit:
Ah miseri, quæ vos tandem vecordia cepit?
Quis vestras potuit prauis inuertere mentes
Artibus, atq; animas dirum compellere ad Orcum?
Scilicet, heu facinus, hæc sunt promissa, fidesq;
Ritè quibus toties persanctè astringitis vltrò
Infantes, primùm cùm sacra immergitis vnda?
Sed Tu, Magne Heros, monitis, precibusq; paternis,
Illustri exemplo vitæ sine labe peractæ,
Sæpè Deo fusis votis, vi deniq; coges
Hos omnes veterem cultum, moresq; priores

In-

Induere, atq; animi fœdas abstergere sordes.
Sic Tibi sorte datum sparsas conducere in vnum
Ad Christi præsepia oues, rabidisq; luporum
Dentibus eripere, ac sæuas arcere rapinas.
Fælices animæ nimium, nimiumq; beatæ
(Nam verè tales, quantùm hîc licet esse beatis
Christi ope, & auxilio) quibus hæc spectare licebit.
O ego (mortali si tantum poscere fas est)
Tunc fruar æthereis auris, vt fortè superstes
Ipse etiam præsens intersim ingentibus actis;
Hoc mihi si Christi contingat munere, sanè
Haud quicquam moror vlterius producere vitam.

Hæc mihi Felsineæ dictabant carmina diuæ,
Inter candenti versor dum corpore cycnos,
Exiguus quos Rhenus alit, quos propter amœnas
Hinc, atq; hinc ripas vestra indulgentia nutrit,
Magne Pater, Tuq; eximium decus addite mundo
MONTALTE, Herculeæ cuius vada feruida Calpes
Iam fama exuperat, mox & Te præpete penna
Trans Gangem, Solisq; vias, trans æthera tollet;
Ac quæ se latis spatiosa Bononia campis
Explicat, vrbs celebris Martis, studijsq; Mineruæ.
O modo ne videar vanum sumpsisse laborem,
Qui veluti ardenti perculsus nuper ab œstro
Ausus sim niueos inter strepere anser olores.



ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI AMPLISSIMO.



Væ nunc Te Iuuenem miratur maxima Roma,
Et vix pubentem Felsina docta colit,
Postmodò, maturis veniet cùm robur ab annis,
In Tua concedet iura benigna volens:
Quin certatim omnes, quà se nouus explicat orbis,
Subijcient placido tunc sua colla iugo.
Et qui nunc ira incensi, fastuq; tumentes
Christi se astrictos legibus esse negant,
Olim deposita cordis feritate salutis
Rectum iter arripient Te præeunte viam.
Tunc maior Tybris incedet, tunc auctior ibit
Rhenus, tunc longè pulchrior orbis erit.

Rob. Tit.



BONONIÆ,

Apud Hæredes Ioannis Roſsij.

MDXCIIC.

Superiorum permiſſu.